



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Metaphysicam, id est, Scientiam de Ente incorporeo, seu
transnaturali

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

II. Distinctionem virtualem intrinsecam dari in rebus creatis suadet
authoritate Patrum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95247](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95247)

quentia clarior, quàm vt negari queat: haud enim magis excludit vnitas, & identitas dissenfum in prædicatis, quàm distinctio consensum in illis: Atqui distinctio non excludit consensum in omnibus, & singulis prædicatis, sed in aliquo eum permittit, vt assumitur in antecedenti: ergo etiam vnitas, & identitas non excludit dissenfum in omnibus, & quibusvis prædicatis, sed in aliquo eum donabit, vti colligitur in consequentia.

CAPVT II.

Distinctionem virtuales intrinsecam dari in rebus creatis suadetur auctoritate Patrum.

13 **Q** Vanquam, vt ingenue hoc fatear, Patres distinctionem virtuales intrinsecam in rebus creatis aperte, ac liquidò, nec adstruant, nec reiiciant; ac multa habent, quibus eam fati indicant, quæ hîc proponere animus est. Agmè ergò Patrum ducat Augustinus lib. 8. de Trinitate, cap. 3. vbi sic fatur: *bona est terra altitudine montium, & temperamento collium, & planitie camporum, & bonum prædium, amœnum, ac fertile, & bona domus paribus membris disposita, & ampla, & lucida, & bona animalia, animata corpora, & bonus aër modestus, & salubris, & bonus cibus suavis atque aptus valetudini, & bona valetudo sine doloribus, & lassitudine, & bona facies hominis, dimensa pariter & affecta hilariter, & luculenter colorata, & bonus animus amici consensionis dulcedine, & amoris fide, & bonus vir iustus, & bona diuitia, quia facile expediunt, & bonum celum cum sole, & luna, & stellis suis, & boni Angeli sancta obedientia, & bona locutio suauiter docens, & congruenter monens auditorem, & bonum carmen canorum numeris, & sententius graue. Quid plura? Bonum hoc, & bonum illud. Tolle hoc, & illud, & vide ipsum bonum, si potes: ita Deum videbis non alio bono bonum sed omnis boni bonum.* Hæc Augustinus, quibus sanè docet rationem communem boni præcindi cogitatione, & obiectiue separari posse, adeoque esse virtualiter distinctum ab hoc, & illo bono: & hac ratione ad notitiam Dei, ac summi boni nos eleuat; quia nimirum sicut bonum in communi, & prout abstractum ab hoc, & illo duntaxat bonum est, & nihil mali habet, cunctaque bona continet, ita similiter Deus, non ratione, sed re, non intellectu, sed natura est bonum solum, ac omnis mali expertus, atque eminenter omne bonum.

14 Rurfus idem Augustinus tomo 3. lib. de Spir. & anima cap. 34. aut Hugo Victorinus, aut quicumque eius operis est author, sic ait: *Vnus est sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti pertingens vsque ad diuisionem anima, & spiritus: Et ideo nihil in creaturis hac diuisione mirabilius cernitur, vbi id, quod essentialiter vnum est, atque indiuiduum, in seipsum scinditur, & quod simplex in se, & sine partibus constat, quasi quadam partitione diuiditur: Neque enim in homine vno alia essentia est eius spiritus, alia est eius anima: sed prorsus vna, eademque nature simplicis substantia: Non enim in hoc gemino vocabulo gemina substantia intelligitur: sed cum ad distinctionem ponitur, gemina vis eiusdem essentia, vna superior per spiritum, alia inferior per animam designatur. In hac vtrique diuisione anima, & quod animale est in vno remanet, spiritus autem, & quod spiritale est, ad summa euolat. Ab*

infimis diuiditur, vt ad summa sublimetur, ab anima scinditur, vt domino vnatur: quoniam qui adhaeret Deo vnus spiritus est cum illo. Felix diuisio, & mirabilis separatio, vbi quod corpulentum, & faculentum est, deorsum remanet, quod spiritale, & subtile est, vsque ad speculationem diuina gloria sublimatur, & in eandem imaginem transformatur: Pars inferior componitur ad summam pacem, & tranquillitatem: pars autem superior sublimatur ad summam gloriam, & incunditatem.

15 Quæ verba hunc in modum expendo. Eadem realiter substantia est spiritus, & anima, vt huic initio testimonij manifestè dicitur necnon initio totius cipitis, vbi hæc habentur verba: *dum viuificat corpus anima est, dum spirat, vel contempletur, spiritus est.* At animæ, vt anima est, eique, vt spiritus est, conueniunt prædicata contradictoria: vt enim anima est, in imo remanet, non euolat ad summa, ab infimis non diuiditur, ad summa, non sublimatur, Domino non vnatur, ad speculationem diuina gloria non erigitur, ad imaginem Dei non transformatur, ad summam gloriam, & tranquillitatem non euahitur. Deumque in summa non contempletur, sed duntaxat id habet, vt corpus hoc mortale informet, ac societate sua viuificet: sed anima, vt spiritus est, alia omnia habet, & prædicata cuncta iis, quæ recensuimus opposita fortitur; non enim in imo remanet, sed euolat ad summa, Deum cognoscit, &c. Eidem ergo animæ rationali prædicata contradictoria conueniunt, sicut ad distinctionem virtuales oportet. Constatum primo: Non solum quod est animale, corporeum, & faculentum in homine, dicitur diuidi, ac separari quoad multa prædicata à spiritu: sic enim quod tantum esset realiter adæquate, aut inadæquate distinctum à spiritu, diuideretur ab illo, sed ipsa anima ab eo diduci, ac fecerni dicitur; adeoque idem realiter à seipso quodammodo diuiditur, & contradictoria prædicata subit. Constatum secundò: cum dicitur id, quod essentialiter vnum, & indiuiduum est, in seipsum scindi à parte rei, & quod simplex, ac partium expertus est, quadam partitione diuidi, rursus eandem, simplicemque animæ naturam, esse tamen geminam vim, ac tandem nihil esse in creaturis hac distinctione mirabilius; certè nostra distinctio virtualis intrinseca, ac aptitudo eiusdem rei ad prædicata contradictoria, eiusque per illa quadam scissio, & partitio graphicè describi, suisque coloribus delineari videtur.

16 Basilius etiam idem sentit cap. 3. constitution. monasticarum, ibi: *duplicem ego animi esse arbitror vim, cum ipse vnus sit, atque idem: quarum altera corpus attingat, vitalis scilicet: altera que tota in perspicienda veritate versetur, quam quidem rationalem appellamus.* Ex quibus sic argumentor: Duplex hæc vis vnus, eiusdemque animi non est duplex, distinctaque realiter potentia illius: certum enim, vim vitalem, qua animus attingit corpus, eique vnatur, illudque viuificat, non aliam potentiam ab anima, sed ipsius substantiam realiter esse: duplex igitur illa vis est duplex formalitas animæ virtualiter tantum distincta. Nisi verò quis dicat, Basilium loqui de distinctione solius rationis: sed facile qui sic eum explicet, refelli potest: namque si vis rationalis esset à parte rei etiam virtualiter vis vitalis, planè eiusmodi vis vitalis attingeret, ac viuificaret corpus: quorsum ergo dicit Basilius, eam totam in perspicienda veritate versari? Eadem ratione, qua Basilius, animam in potentias virtualiter distinctas partiuntur Bernardus, & alij Patres quos esset referre longum.

17 Nobis etiam fauet Anselmus lib. 2. de incarnat. verbi:

Verbi: qui non potest (inquiens) intelligere aliquid esse hominem, nisi individuum, nullatenus intelliget hominem, nisi humanam personam, omnis enim individuum homo persona est: quomodo ergo iste intelliget hominem assumptum esse a verbo, non personam, id est aliam naturam, non aliam personam esse assumptam. Ecce Anselmus damnat eos, qui aiunt rationem hominis non esse aliud, neque virtualiter etiam distingui à ratione individui, atque huiusmodi dialecticos, siue potius dialecticae haereticos (sic enim paulo supra eos vocat) parum consonè philosophari mysterio incarnationis, in quo Christus assumpsit humanitatem, non personalitatem, & humanitas eius vnita est immediatè, non naturæ diuinæ, sed Verbo, & Filiationi. Confirmatur: sententia Nominalium, eorumque, qui nobis aduersantur, est, naturam communem nihil aliud esse, quàm multa indiuidua collectiue sumpta, & confusè cognita: Hoc autem placitum Anselmus videtur expressè damnare.

18 Rursum secundo: Anselmus in dialogo de veritate cap. 9. sic ait: multis enim modis eadem res suscipit diuersis considerationibus contraria: quod in actione sepe contingit, vt in percussione: Percussio namque, & agentis est, & patientis: vnde, & actio dicitur, & passio potest: quamuis secundum ipsum nomen actio, vel passio, vel qua similiter dicta à passis in actiua significatione dicuntur magis videantur esse patientis, quàm agentis: quippe secundum id, quod agit magis proprie videtur dici, agentia vel percutientia, & secundum id, quod patitur actio vel percussio: nam agentia, & percutientia ab agente, & percutiente dicuntur, sicut prouidentia à prouidente, & continentia à continente, quæ scilicet agens, & percutiens, prouidens, & continens actiua sunt: actio verò, & percussio ab actio, & percussio, quæ passiva sunt, deriuantur: sed quoniam, vt in vno dicam, quod in certis intelligis, sicut percutiens non est sine percussio, nec percussio absque percutiente; ita percutientia, & percussio sine inuicem esse nequeunt: imò vna, & eadem res est diuersis nominibus secundum diuersas partes significata: Idcirco percussio, & percutientia, & percussio esse dicitur.

19 Quæ sic expendo: Eandem rem suscipere prædicata contraria, & opposita est ipsissima distinctio virtualis intrinseca: sed iuxta Anselmum eadem res, nempe actio & passio suscipit prædicata opposita, & contraria, nimirum, vt actio est terminari ad agens, illudque tale denominare, non verò terminari ad patientem, nec illud eiusmodi denominare; contra verò, vt passio est respicere passum, & non agens, illudque, non hoc afficere, & denominare. Rursum iuxta Anselmum vna, eademque res, percutientia nimirum, & percussio, siue actio, & passio diuersis significatur nominibus quoad diuersas sui partes: at non quoad partes ex natura rei distinctas: sic enim vna, eademque res haud foret: secundum ergo diuersas partes virtualiter distinctas: adeoque in has simili modo quælibet res quantumlibet realiter simplex, & indiuisa dissectatur.

20 Idem Anselmus cap. 29. monolog. docet cogitatione præscindi vnâ perfectionem obiecti ab alia secum realiter identificata, adeoque alteram esse virtualiter distinctam ab altera: Nempe (inquit) si cuiuslibet substantia, quæ, & viuunt, & sensibilis, & rationalis est cogitatione auferatur, quod rationalis est: deinde quod sensibilis: & postea quod vitalis: postremo ipsum nudum esse, quod remanet: quis non intelligat quod illa substantia, quæ sic paulatim destruitur, ad minus, & ad minus esse, & ad vltimum non esse gradatim perducitur. Profectò, si, quod Nominales, eorumque sequaces aiunt, nulla posset dari præcisio

obiectiua cum distinctione virtuali coniuncta, sed quocunque conceptu inadaquato, ex iis, quos assignat Anselmus, torum, quod est in obiecto, cognoscere, non conspicio, cur illud paulatim, ac pedetentim ad minus, & ad minus esse perduceretur. Huc etiam alludit ex parte Anselmus infra in monolog. cap. 2. vbi vnâ (inquit) eandemque rem dicimus, & non dicimus: videmus, & non videmus: dicimus, & videmus per aliud: non dicimus, & non videmus per suam proprietatem.

21 Item in dialogo de veritate capit. 12. loquens de veritate transcendentali eam sic definit: veritas est rectitudo sola mente perceptibilis: quam definitionem sub persona discipuli ita mox explicat: nec plus nec minus continet ista definitio veritatis, quàm expedit, quoniam nomen rectitudinis diuidit eam ab omni re, quæ rectitudo non vocatur: quod vero sola mente percipi dicitur, separat eam à rectitudine visibili: Hinc argumentor: In obiecto visibili, colore verbi gratia, est aliqua veritas transcendentalis: ergo & aliqua formalitas sola mente perceptibilis, & sensu corporeo imperceptibilis: at in eo est alia formalitas aliquo corporis sensu, & non sola mente percipi apta: iam ergo in colore est duplex formalitas prædicata contradictoria suscipiens, & quarum altera sit virtualiter distincta ab altera, secundum Anselmum.

22 Qui præterea lib. de similitudinibus sic habet. In anima tres sunt naturæ, videlicet ratio, voluntas, & appetitus: ratio assimilatur Angelis, appetitus brutis animalibus, voluntas vrisque. Et ibidem infra, nota quod plura sunt nomina anime: vocatur enim aliquando spiritus, mens, animus, ratio, intellectus, interior homo. Vnde quoque sic arguo: Ratio, appetitus, & voluntas iuxta Anselmum distinguitur in anima: at non realiter, tanquam plures potentia: ergo virtualiter intrinsece: Maior constat, tum, quia eas appellat tres naturas: tum etiam, quia docet animam per rationem Angelis, & per appetitum bellis assimilari, quæ sunt prædicata contradictoria aliquam argumenta distinctionem: Minor probatur primò, quia, si essent potentia accidentales ab anima, & inter se realiter distinctæ quorsum eas appellaret tres naturas? Secundo, quoniam anima ab Anselmo dicitur, & vocatur ratio, appetitus, & voluntas: hæ ergo facultates, nec ab illa, nec, quod consequens est, inter se realiter distinguuntur: Parfermè argumentum fieri potest in verbis supra posteriori loco citatis.

23 Vterius in lib. de concordia præscientiæ, & prædestinationis Dei in ea videtur esse sententia, vt existimet eandem rem creatam suscipere prædicata opposita, adeoque virtualiter scindi, ac diuidi in seipsa: eius verba sunt hæc: Multa sunt, quæ recipiunt opposita diuersa ratione: quæ namque magis opposita sunt, quàm abire, & adire? Videmus tamen cum transit aliquis de loco in locum, quia idem ire est ei adire, & abire: abire enim de loco, & adire ad locum: Quod etiam videt in motibus contrariis calorum eorundem ab Oriente ad Occidentem, & è conuerso. Porro adducto testimonio lucem adhibebunt quæ cap. sequenti ex Aristotele pro nostra adducemus sententia.

24 Tandem Anselmus de concordia gratiæ, & liberi arbitrij sic ait: Sicut enim habemus in corpore membra, & quinque sensus singula ad suos apta: quibus quasi instrumentis utimur, vt sunt manus aptæ ad capiendum, pedes ad ambulandum, lingua ad loquendum, visus ad videndum, ita & anima habet in se quidem vires, quibus utitur velut instrumentis ad vsus con-

gnos: est namque ratio in anima, qua sicut suo instrumento utitur ad ratiocinandum; & voluntas, qua utitur ad volendum: non enim est rationalis voluntas tota anima, sed est unaquaque aliquid in anima: Ecce Anselmus docet rationem, & voluntatem in anima distingui, utique à parte rei, quemadmodum membra corporis, & sensus animæ distinguuntur re ipsa, & ante considerationem intellectus: quod autem hæc distinctio non sit realis, tum ex ante dictis patet, tum etiam, quia cum dicitur voluntatem non esse totam animam, quid aliud dictum est, quam esse quidem realiter totam animam, tamen totam eius vim non exhausti, sed illam in super intellectum, siue rationem esse pariat, nouæ scilicet, ac virtualiter distinctæ formalitatis additamento?

C A P V T III.

Distinctionem virtuales intrinsecam dari in rebus creatis suadet auctoritate scholasticorum.

25 **O**Rdior autem à Platone Aristotelis magistro, qui in Phæd. sic habet: *Ita natura comparatum est, & ternarius, & quaternarius, & omnis medietas numeri, ut quamuis non idem sit, quod impar, semper tamen eorum quouis sit impar: præterea duo, & quatuor, omnisque alter numeri ordo quamuis idem quod par non sit, simul tamen quilibet illorum par semper existit.* Quibus verbis graduum superiorum, & inferiorum distinctionem aliquam à parte rei cum eorum identitate coniunctam, ac proinde eam, quam nos virtuales appellamus aperte admittit. Rursus in Phil. docet, res in aliqua formalitate omnino similes, & in alia omnino dissimiles esse, sicut ad earum distinctionem virtuales oportet: eius inibi verba sunt isthæc: *Neque color à colore ex eo, quod color unusquisque est, differt: at verò nigrum albo præterquam, quod differt, etiam contrarium esse nouimus omnes. Quin etiam figura figura eadem genere ipso in uniuersum est: Partes autem generis eius, aut in inmensum inter se differunt, aut contraria sunt etiam: cæteraque huiusmodi multa reperimus.*

26 Rursus Aristoteles lib. 3. physicorum cap. 3. textu 21. & sequentibus docet actionem, qua vna res aliam producit, & passionem, qua alia dicitur à priori producta, esse idem realiter: cæterum inter eas esse distinctionem virtuales intrinsecam, ratione cuius prædicata contradictoria suscipiunt. Cum enim contra identitatem realem actionis, & passionis obieciisset, fore exinde, ut quemadmodum actio, & passio est idem, ita etiam agere, & pati, siue agi essent idem, adeoque nihil posset agere, quod non ageretur, aut agi, quod non ageret: *Et erit (inquens) siquidem doctio, & doctrina idem, & passio, & actio: & docere, cum addiscere idem, & agere cum pati: quare necesse est omnem docentem addiscere, & agentem pati: his inquam ita propositis respondet Aristoteles vbi supra, istud incommodum non sequi: At verò neque si doctio, & doctrina idem, & addiscere, & docere idem. Deinde rationem reddit, cur eiusmodi non sequatur incommodum his verbis: *Neque doctio cum doctrina, neque actio cum passione idem proprie est, sed cui insunt hæc motus: quod enim huius in hoc, & quod huius ab hoc actum esse, ratione alterum est.**

27 His constitutis, sic argumentor: idcirco censet Aristoteles, causam, cum producit, non produci, nec pati à se ipsa, & effectum, cum producit, non pro-

ducere, & magistrum, cum docet, non discere, ac discipulum, cum discit, non docere, hæcque denominationes non confundi, quia tamen actio, & passio realiter sint idem, tamen non sunt idem ratione, nec proprie, aut quoad quid: at hæc distinctio rationis, aut propria, seu quidditatiua alia esse nequit, nisi distinctio virtualis intrinseca: ea enim communiter appellatur distinctio propria, quod non inter rem, & rem, sed inter proprias eiusdem rei formalitates interueniat; & distinctio quidditatiua, quod conceptus quidditatiuos vnus, eiusdemque rei inuicem separet, ac secernat; ac tandem distinctio rationis, non formalis, sed obiectiua, non ratiocinantis, ut aiunt, sed ratiocinata. Quod autem hæc sit mens Aristotelis, manifestum est, aut eius argumentum manifestè nullius est momenti: etenim à parte rei, & ante omnem intellectus operationem per eandem realiter entitatem denominatur causa agens, & non acta, effectus actus, & non agens, magister docens, & non discens, discipulus discens, & non docens: si ergo huiusmodi denominationum distributio, ac sine confusione varietas oritur iuxta Aristotelem ex distinctione reperta inter actionem, & passionem, doctrinam, & disciplinam, necessum est, ut huiusmodi distinctio omnem intellectus operationem antecederat, & ex parte rei detur. Confirmatur B. Thomas è vestigio citandus respiciens ad hunc locum Aristotelis eum intelligit de distinctione virtuali intrinseca, ratione cuius eidem realiter entitari, ac motui prædicata contradictoria conueniunt. Aristotelem sequuntur antiqui omnes interpretes, præsertim verò Alexander, Simplicius, Themistius, Niphus, Venetus, Aueroës, & quod caput est B. Thomas.

28 Primum, quia eadem, qua nos ratione Aristotelem, vbi nuper, explicat: sic enim ait: *Dato, quod agere, & pati sint idem ratione, ut dictum est, non sequitur, quod cuiuscumque conuenit agere, quod ei conueniat pati.* Rursus in 1. distinct. 2. questione 2. artic. 2. in corpore: *Sic ergo (inquit) dicendum est, quod in Deo est sapientia, bonitas, & huiusmodi, quorum quodlibet est ipsa diuina essentia, & ita omnia sunt vnum re, & quia vnumquodque eorum est in Deo secundum sui verissimam rationem, & ratio sapientie non est ratio bonitatis in quantum huiusmodi, relinquatur quod sunt diuersa ratione, non tantum ex parte ratiocinantis, sed etiam ex parte ipsius rei.* Ecce Sanctus Doctor asserit, non solum ex parte intelligentis dari diuersitatem, quatenus in eo dantur diuersæ cognitiones, quibus cognoscantur indiuisibiliter omnia attributa absoluta Dei dissimilibus modis, sed etiam ex parte rei cognitæ dari diuersitatem: non realem, ut constat: ergo virtuales. Quod si hæc datur inter attributa absoluta Dei, licet ita comparata non sint, ut fide cogente, alia communicentur, alia non communicentur, non conspicio, cur eiusmodi diuersitas inter formalitates creatas non reperiarur, præsertim, cum inter eas B. Thomas distinctionem rationis ratiocinatae vbiuis agnoscat.

29 Præterea quæst. 7. de potentia in responsione ad 5. *Dicendum (inquit) quod de eo, quod est idem re, & differens ratione, nihil prohibet contradictoria prædicari, ut dixit Philosophus 3. physicorum (textu 21. & 22. Patet: idem punctum re, differens ratione est principium, & finis, & secundum quod est principium non est finis, & e contrario: unde cum essentia, & proprietates sint idem re, & differant ratione, nihil prohibet, quin vnum sit communicabile, & aliud incommunicabile. Idem habet 1. part. quæst. 39. art. 1. ad 2. vbi eius interpret Caletanus præclare demonstrat,*